Dzbowski Alex

...inensis.

Lublinens. Coll. Soc. Jes. Regia purpurarum Tartoviana domus.

REGIA PVRPVRARVM
TARŁOVIA
DOMVS
PALATINARVM
DIGNITATVM
HÆRES

JN JLLVSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO DOMINO,

D. IOANNE

in Czekarzowice

TARŁO
TRIBVNALIS REGNI
MARESCHALCO

PALATINO LVBLINENSI, CAPITANEO GRABOVIECENSI &c. &c.

Senatoria Curuli Cumulata,
Votis Publicis adorata
à

DEVINCTISSIMO PALATINIS HONORIBUS COLLEGIO LVBLINENSI SOCIETATIS JESV.

Annô Numinis Humani Sangvinis Purpuram induti
MDCCXXI. 6.

Reverendo Magistro Cantio [illegible] Soc. Jesu.
P. Alex. Dąbrowski Auts. Servus in Xto A. D. [illegible]

IN GENTILITIVM INSIGNE, ILLVSTRISSIMI DOMINI



Starża Palatini, Fortunæ incude dolate
Quem Faber, Aurato vulnere, preſsit Honor;
Divide, vel Superûm Imperium; quodmiles Honoris
Cum Iove diviſum, TARŁO tenere queat.

Ad ILLUSTRISSIMUM
EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

D. IOANNEM

in Czekarzovice

TARŁO

TRIBUNALIS REGNI MARESCHALCUM
Palatinum Lublinensem, Capitaneum
Graboviecensem &c &c.
Dñum & MECÆNATEM AMPLISSIMUM.

AD portas Annibal supplex Honor est: PALATINE ILLUSTRISSIME. Aram tange, quà Fortunæ, quà Purpurati Hæres Nominis: nescit enim præterquàm cum Divis Gens TARLOVIA commisceri; unusq; Sangvis est, qui cor Iovis non opprimat, ac TARLONUM. Aram tange, quam Suæ Secures Senatoriæ, in avitæ molem, ac Culmen Gloriæ, erexerunt. Virtutum quidem illa Cæsarum, Principumq; Regia est, Heroæ Famæ Pantheon, & quoddam Deorum Capitolium, quo, nigri vetustate vultus, Avorum Atavorumq; factorum, sed ipsa fuligine, ILLUSTRISSIMI Ceræ Majorum, de flore Polonæ Nobilitatis ardent collectæ, ut constet, de Domo TARLOVIA, & Divos Prometheos participare splendores, nihilq; tam illustre, quod Palatinum non sit, quod non Senatorium. Ita est, TARLONES Illustrissimi, Vestri sunt cultus, qui Superûm; Vestræ Cunæ, quæ Regnorum soles, Terrarum Numina, in lucem tradunt. Uno proinde in Theatro Gloriæ, una purpurarum in Regia, coli ambitis, quia debetis. Quàm enim istud magnum est! ne dicam immensum, vos Patriæ Patres vixisse priùs, quàm Mater Polonia adoleverit; priùsq; per Honoris Appiam, ultra plantam, Domus Vestræ discurrere, quàm Lechia stetisset; unde nullus TARLO fuerat, qui ipse sibi Consul, & ipse Senator non suffecit. Fuerint Arcades ante

te Lunam? plùs est, ante Polonum Orbem TARLONES esse; Domumq; Vestræ stetisse Gloriæ, quàm suos Proavos, per atria cæteri, Dii aliàs, disponerent. Et inde est, quòd multiplex etiam Honor amet TARLOVIOS, & uno vultu, ut ut Ianus pulchrô Famæ miraculô, Palatinum spires, altero, Mareschallum. Bene omnia! Fasces etiam, cùm alligantur Securi, Honoris sunt. Indignum ratus Scipio, se solo, manibus Trabeatis invehi, nec quodam Dignitatum Cœlô, veluti unus Solis radius, illustrium Senatu, Honorumq; satellitiô circumdari: pudebatq; purpuram, texisse viros humeros. nisi de lege fecisset, purpuratos Patres semper TARLONES esse. Bene omnia! cùm ad Areopagum Secures vigilent, quasi Flammæ Custodes Imperij. Nôrint Posteri, quantùm valeant TARLONII, quos Libra Themidis, publicæ Fortunæ pretia, Regniq; pondus, Tribunalitiæ præfecit Dignitati, nôrint nullam laboris TARLONII operam, nisi gemmeam & Achatem coronæ Procerum. Nullus adhuc equidem sudor est Lechiæ, qui in facie TARLONIUM non fluxerit; quasi frons Senatûs, mentis egregiæ forma, & quidam magnorum apex staret in vobis. Et ista, tanquam cortinâ Apollines vel Macedo Purpurâ tersistis TARLONES. Refici tandem Honoris bellariis, non nemo sudatus Atlas Cæli Purpurei TARLO debuerat; nec nisi Fortunæ invitari mensis, quæ Pueris etiam vobis. pomum Honoris afferrent aureum. Argus sim, ut videam Gradivum Lechiæ, Palatinum JOANNEM; quantùm pugnavit. tantùm vicit; belliq; ardores, ceu immortales ignes alebat lauru. Et ut restauraret Camenecum, Ducalem fudit sanguinem, tanquam urbis Romuleæ mœnia conderentur. Vnde fuerat, quòd nulli, præterquàm TARLONIBUS, Curules Senatorias, omni Major Domo Honor admoveret, ne quisquam nisi in Dignitate sua mori posset. Et adhac, Te, Pater Anchises, & Avunculus Hector, excitârunt JOANNEM Mareschallum. Perge Senator Illustrissime! Majorum Ceras, in Templo Proavæ Virtutis accende, sic vota ferunt, sic vestra decrevit Respublica. Satis est mirari etiam Superos, & Astræam, quòd Gratias Senatoris Nominis, Palatinis horis, idest æterno famæ tempori, conjunxeris. Satis est, quòd Majorum in urnis sortes Tuas (nostras dixisse debueram) præviderim, Te verò, Deorum sanguinem, purpurarum Hæredem, & Iudex Orbis Poloni Numen: quod toto se adoret.

ILLVSTRISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

Devotissimum Palatino Nomini
Collegium Lublinense.
SOCIETATIS JESU.

ILLVSTRISSIME EXCELLENTISSIME
PALATINE

SVbmitte Purpuræ lacertos, ſumme Trabeарum Hæres, Mecænas Illuſtrisſime. Adhanc Te ſupplex invitat Honor, expoſcũt merita geſtientis Populi exoptant vota, Majorum Tuorum, Parium, id eſt quà Illuſtrisſimorum, quà Celſisſimorum inſiſte Curulibus: Exploratas tot laureis dextras Polono infer Capitolio ut Heros, boni publici Studiô pectora coronata, Palatinatui ut Civis, Senatui caput, ut Pater

 Patriæ

Patriæ. Eſt quod ad id Sarmaticæ eminentiæ faſtigium, Animum attollat reluctantem. In Patriæ commodum profuſi Veſtri ſangvinis in hoc propendet dignitas, boni publici laborat amor, deſudat Majeſtas coronata. Vtriq; Tuorum meritorum Eminentiæ, hoc Poloni Honoris Culmen affine eſt: hæc ad Purpuras devoluta dignitas Veſtro ſangvini Conſangvinea. Domeſticum id vobis eſt, quod grata Patria obtrudit Decus, quod Auguſta Dextera manus porrigit, Inquilinum, STARZII eſtis, id eſt antiquitates Purpurarum. & quàm summorum in Patriam meritorum, tam titulorum Hæredes. Vobiſcum naſci, Vobiſcum adoleſcere, quos induitis, viſi murices, & per immenſum venarum diffundi, donec intra Domus Veſtræ abdita, felicitati publicæ conſenu erint. Primum hic intra veſtras cunas diem aſpexit Honor, ac Veſtri ortus ſerenô illuſtrior, effulſit in Trabeas. Amavit vagitum Veſtrum infans Purpura & veluti inter Coribantum modulos, Divinis educaretur Curulibus, Veſtra ſe metiebatur amplitudine, ne quid majus eſset TARŁONVM majeſtate. Amavit ſudatas plorantis infantiæ lacrymas, & quaſi tantæ ſerenitatis nuntiæ, Auroræ luctum, in gemmas liquatum vel Corallia, intra pretioſas ſorbebat venas; ut feſtiviùs ſummis id eſt vobis ad curules comēdis, rubuiſset. Et rubuit ſanè: quod maturiori niſu, Veſtrorumq; aſsultu meritorū inter crepundiorū otia, relictâ jam TARŁONVM decoribus divite, lana, ipſi in viros jam Infulis, jam ſcipionibus ferendis pares, Succreveritis Nempe duxiſtis pulchriùs à meritis derivaſſe purpuras, quàm a ſanguine. Vobis tantùm ſuis ſeſe obſtrinxit

ſtrinxit faſciis, ut TARLONES, qui cunas titulis fecerunt, & in Trabeis viverent, & morerentur in Trabeis, Palatinæ Purpuræ Succeſſores. Sed ubi Vos reſtrinxêre faſciæ, iterum ſuis vinculis Honores obligarunt. Dubitatum de Annis fuerat non de meritis. Vnde non calculum ad oſtrum ætas, non ad curules anni ſuffragia dedêre. Nempe prævenistis vota Populi Palatinatuum amores; Regum oracula; non priùs, ad animam, quàm ad purpuram Candidati. Iam Heròes antequam Viri, jam Polonorum decorum bajuli Atlantes, antequam Alcidæ prætextati. A cunis ſtatim Proceres ſed=iſtìs pro Curulibus, Præſules pro Cathedris: & nec ſoli licuit teneram adhuc, ſed grandiorem, refloreſcentis in Trabeas Proſapiæ ætatem, niſi vel proſpectare in violis vel mirari in Purpuris. Antiquum hoc de Vobis eſt, quod tantùm non a faſciis Auguſtum Semideorũ Poloniæ ſupercilium, &faciē uno Iove minorē protuleritis. Vnde Domi Veſtræ, ceu in aula dignitatũ, nullæ ſellæ, niſi curules, nulli cultus, niſi Trabeæ; quia vox nulla, niſi senatûs oracula. Scipionũ de gente eſtis, cui olim niſi ad Trabeas Iacerti. Caput ceu gemmā ad Infulas, pectus amoris Patriæ Regiā, ad pretioſas crucis Cimelias, collũ ad Torques aureos, quibus fortuna Poloniarũ, depēdeat, ſuſtentatis: Digitos ad Regni Annulos, ad Iudiciarios ſcipiones manus, humeros ad Togas & purpuras profertis, & ideo omnes TARLONES niſi Togati Patres, & Domus eſtis tota Senatus. Quam pulchrum hoc Mecænas Illuſtriſſime ſed Veſtrum! Alii extra ſangvinis ſui Oceanum piſcantur, alienum exſugunt muricem, quô ad Trabeas coloren-

 tur.

tur: Alii exteros oberrant soles, ut Honoris radium derivent: Sunt qui Arabes succendunt Fortunæ focos, thura adolent, inter fumantes rogos suis titulis devoti, ut quam meritis non audent pretiosiori quæstu, mendici titulorum trabearum lucem impetrent. At extra Vestri sangvinis colorem hic fucus est. Vestris rubetis venis, Vestro fulgetis Cælo, minùs de titulis quàm de Majestate vitæ soliciti. Et inde est quod se vobis ultrô ipsi Honores ingerant, ament scipiones dextras, manus Annuli, Purpuræ lacertos, ut eô quiescant sinu securiùs, quô capita consiliis graviora, quô palmæ laureis referta, quò Regna sustentantur. Vt adolescere sic vobiscum atteri amant Trabeæ: amant TARŁONVM reæ sangvinis Vestris dependere ab humeris, & inter vetustissimæ Familiæ, longa ætate sparsas, per immensum capitis nives, iterum ad Trabeatæ Domûs cultum reflorescere. Quid enim de sperarent à canis, cùm tantùm maturuerint in cunis? Autumnavit vobiscum felicitas publica, & pulchro canorum ordini intenta, Apriles Annos numeravit per Trabeas, grandiores Curules, per merita. Vobiscum consenuerunt Purpuræ, maturuit Honor, & tam meritorum quàm ætatis mole pressus eidem cum senibus incubuit scipioni: longo sole serenos recensuit dies: cumq; jam albescentis ad gloriam Capitis colorem imbibere nequiret, defluentes canos maturioris ætatis præmia, intra suas sorbebat venas, quos copiosiùs funderet in posteros Patritii muricis successores. Et ab hinc Illustrissime Domine famæ publicæ oraculô auditis TARŁONII, Trabearum color, Oceanus Purpurarum summorum

rum titulorum Regia Honorum Domus (: vel si solem ad radium colligam sangvinis Vestri Oceanum ad guttam:) PALATINARVM hæredes Purpurarum,

In Trabeatæ Familiæ Cælum. in alti sanguinis Oceanum, in augustissimæ Domus Tuæ immensum rapimur Mecænas Illustrissime. Ne quid enim Vobiscum terris commune est. Soles estis in ortu Trabeati, in occasu purpurei? Non priùs sarmaticum diem vivitis quam explicatæ ad felicitatis meridiem frontis sudô faciti serenum. Etiam in obscuro fortunæ, tantum fulgetis Illustres sidereæ, ut soles post nubem videamini, vel Ioves post cortinā Vos Patria nisi in Purpurarum Cælo, nisi in honorum fastigio ut Lechiæ Numina adorat, & ne superstitioni sacrificet, amat ut filios, colit ut Cives. Altum tenetis dignitatum Diis & sanguine viciniores & meritis; nempe TARŁONES estis, quibus innatum est tam altum stare, quàm utilitati publicæ altum prospicere. Prospectatis è summo Honorum Cælo Diviniores Cosroæ, sed non ut Tonantes, quibus aspectus fulgur, oculus fulmen. Divites etiam in oculo estis Midæ: nunquam viles fasciatæ diei lacrymas, semper Gangetes vel gemmas Cælô & vobis minores depluitis, serenitatis futuræ ævique aurei nuntias. Quot manus aureas, tot munificos orbi radios dispensatis, & veluti ex Divinæ liberalitatis sinu, in sublime titulorum, manu Fortunæ depositi, nihil pulchriùs ducitis quàm auro de manu certare. Habemus vatum oraculis fragmentum solis Memnoni in Animam cessisse: mutū saxum animasse ad linguam: formasse ad Tripodem

Vocalior fabula fuisset, nisi sic loqui didicisset. Vltra Lechiæ fines proclamatum est. Vos soles integerrimos, Oris sarmatici Animas Vos liberæ vocis lingvas, Vos oracula consultoria. Vultûs vestri serenô, quæ olim Harpocrati litarunt lingvæ in Mercurios inflammantur, & illustriùs loquuntur, quam si radium bibissent. Trabeatæ itaq; Familiæ vel soles estis, vel Cælum Purpurato Atlanti ferendum. Tot Domi Vestræ sidera accenditis, quot illustres ad laurearũ fomitem flammas: tot Cæli sarmatici faces, quot ad exedras Patrum stellas, idest lingvas etiam sub Purpurarum rosis facundas: tot Phæbos in Marte defixos, quot ad æstum belli, Gradivô calentes, triumphatricis Familiæ scintillas Quanquam non ita jurastis Marti ut cum in Leone sereni Vestri tentoria defixeritis, nonquoq; venissetis ad libram, nemini graves, tamen ponderis ingentis Viri. Ne tam ultra Phæbi tramitem, quàm ultra Purpuras ivissetis, Cælesti diutiùs institistis Arieti, Trabeati TARŁONVM Cæli soles; nempè pretiosa divitis lanæ fila, vetustate superum, Diuini antiquitate velleris derivata Patritio intexuistis murici, ut palam esset STARZIOS tam lucis Tarłoniæ, quàm Palatinarum esse hæredes purpurarũ.

Sed non Vos ab alto Cæli protrusit Stylus quod alti sangvinis Oceanum nuncupaverit. Vtiq; etiam ubi piscibus excesserint, amant Ponto immergi soles, & ubi sudatæ frontis calores restrinxerint amant purpureis aquis provehi, ad auroram. Radii illis sunt pro remige, pro rate Cynosura, pro Carbaso Luna, dies pro Anchoris. TARŁONII primũ siderei in Trabeis Ioves, jam exundantis in purpu

ras

ras sauguinis Oceanus estis. Ita inter summa Fortunæ, dignitatum alto rapimini ut & profundum ametis, Nihil in vobis non rerum apex, nihil non summorum decorum sublime caput, vel ut aliquid pro veritatis majestate dicam nihil non in gentium Corona. Quoscunque hic supputatis Avos, Proavos recensetis? tot coronata in Ioanne Tertio Numina, tot in reliquis Polonæ eminentiæ fastigia quot in Phæbo illustres comæ. An enim testudineæ Domus more, præcelsa gens humi serperet? verticem semper Fortunæ tenuit, & Cælo conterminæ gloriæ summos apices. Cum stare ad huc nesciret jam se eò culminis promovit, ut controversum faceret, essetne dignitatis fastigium, quod TARLONVM altum non excesserit. Vagire etiam illi nisi sublime non licuit- Ipsi ploratus sonabant senatores, ipsi gemitus, declamabant Duces: & lacrymæ ab alto infantiæ deciduæ, tam in gemmeas vagituum voces quàm exundante in Gratiarum tripudia ore, loquebantur Palatinos, Vnde Gigantes Vobis semper tituli, quia nec animus Pumilio. Plus quam Pelio & Ossæ, tantis Honorum generisque fastigiis, maximis major incubuit virtus, ut palam esset TARŁONES tam alto sanguinis quàm dignitatis eminentiâ sublimes. Nihil unquam in mores non magnum admisistis. Ne altior quidem in Ostro murex, quam vobis verecundo in vultu probitatis color. Non longum tamen duxistis dignitatum Vestrarum altum a Vestri sanguinis profundo Nempe nostis, non semper etiam Reges pro soliis alto stare supercilio, non semper sol es erecto in sublime lucis vultu, radiis præferre Ioves, quin ad ima

 quoque

quocꝫ oculum deflectant. Viles tantum glumas vel paleas leviori fastûs anhelitu per sublime Boreæ volitare aureæ frugis inscias Cereres fastuosiùs prospectare & sua levitate in altum abripi: pauperioris ranæ casam esse non Herculis spolia, cochleæ exuvias, si supernatent, Vos gemmarum candorem imitati & indolem, etiam in alto pretii tantum de profundo habetis, quantum de sublimi meremini. Intra purpurei maris sinum jacetis Vniones intra sanguinis vestri Pactolos pretiosæ, in Olympos titulorum surrecturæ arenæ, intra viscera profundioris glebæ, solis radiis Honore agricola in auream laurearum messem excolenda semina Purpurarum, etiam in profundo summi, in humili sublimes. Alti sanguinis Oceanus estis; nempe nullus vobis fluctus nisi quo Gratiæ supernatent: nullus alveus, nisi qui aurum volvat vel corallia. Immēsitatem Familiæ littore circumscribere non ausim. Vltra titulorum Thulen diffusi TARŁONII, nisi modestiæ suæ clauduntur margine: Columnas Herculis excesserunt: nec insulas norunt nisi Fortunæ Digni quorum alto Fortuna Cæsarum, aureum; Iasonis de Colchide divitiæ, Vellus, vel cum Vlysse triumphi Trojæ in laureis devehantur; Digni quorum littori insideat Iupiter, Delphinos ad lusum pro vocet vel purpurei TARŁONVM sanguinis opes, Murices venetur, quibus Palatinarum Hæredes Purpurarū in Trabeis Tarłoniis pingat, par imagini Apelles. Nisi & manū excedat, & artē vultus, cui orbis Lechicus in Arcto est. An enim Pumilionis manus Gigantem Domum ceperit? Pigmæi circulô pingi possunt, non Enceladi, quibus etiā Olympus brevis Regia,

Regia. Sunt qui de immensitate concertant titulorum, sunt qui de Familiarum vetustate bella moveant. Ostentant in imaginibus majores, Nestores Colorati: fumosas succendunt ceras Aristæi suis dulciariis devoti: Palmo sese alii metiuntur, ut adæquent: Alii Rhodiis se se conferunt: ad decrescentes alii concurrunt soles, ut sint in umbra majores: Omnes brevis arundo viros occupat: suorum antiquitate meritorum sui profundo sanguinis in immensum Familiæ deducuntur TARLONES: nesciunt uno aretari vultu, quos in mille Regni facies Patritii murices depingunt. Ita est Illustrissime Mecænas. STARZA Vestri mensura, quæ Achillis hastæ, vel gladii Alexandri. Nescit avitum ferrum illo nisi recumbere campo quo immensitas triumphorum colligitur, laurearum exercitus avitæ Asciæ & labor & spolium. Orbem impletis sarmaticum, Vos trabeæ Aristides, Vos Solones Curules excipiunt: Iudiciariæ sellæ Lycurgos, Zopyros soles exteri, Callimachos Gradivi: Pompeios Capitolia, Vos Ioves, Honorum Aula. Vltra Geometræ manum est Vestræ lineæ immensitatem revocare ad regulam. Sceptris Vos, vel filô aureô quô limites definit orbi, metitur Honor immensitatem TARLONVM Familiæ, amplitudinem titulorum trabeata tænia mensurat, & nodo purpureo Vobis hæreditatē Palatinarum adstringit Trabearum.

Canos alii exspectant ad purpuras, quod se se profundiori Fortunæ cultui exponendos arbitrentur, si adaras sanctioris ætatis icones sic pingantur. Præstolantur alii Familiarum rugas, veluti sulcos Honorii agricolæ, quibus aureas titulorum messes

derivent. Alii donec arundini, decrepitæ fulcro incumbant, ferendis purpurarum ponderibus non sufficiunt. Vbi non assequuntur Trabeas ad Tripodem Fortunæ tripedes procurrunt, ad tubam concinunt se à teneris obsolevisse in purpuris, quod bis pueri senes honorato murice colorentur. Multos vidimus, etiam quibus aurora illustrior fuerat, vix ad occasum rubuisse: multos, quibus Aprilis vernantior, vix in Autumno ætatis refloruisse in Trabeas. Vestra Illustrissime Palatine Domus, Illustres cunas habuit: veluti solis aula, quæ ante radiorum comam rubet ad meridiem. Iam in purpuris Patriæ Patres videbamini, antequam lacertos ad Trabeas haberetis. Quasi auroræ, Filii primò rubuistis in ortu, primoque succrescentis Familiæ vere, floruistis in rosas Vestro sangvini concolores Credo ego Mecænas Illustrissime. Si Vestræ ætatis florem, Reges apum ab alto conspexissent, fulmineis ocyores alis cum melleo Senatu Vestras involasent cunas, suxisent Hyblas, traxisent, favos, dulci Studio nascentis TARLONII Cæli legisent rores puniceos; nisi Zeuxis penicillô olim lusæ volucres præcavisent. Tantum jam de purpurarum coloribus habuistis! tantum de vernantissimi flore sangvinis. Vix Lechiæ sinu Vos Lucina reposuit, meditabundi inter fascias (: quasi jam vobis Senatoria arcana expendenda incumberent) formato ad pulchra silentia vultu jacuistis. Nempe etiam in teneris nihil jam vobis infantiæ singultibûs implorandum fuerat, quod jam plures Trabeas haberetis quàm dies. Indecorum duxistis non solis passu venisse ad vitã, qui in suspensô provehitur ad

Auroram

Auroram & ubi diem ingreditur nescit lituos. Sileri tamen non poterant grandiores ortus qui nisi Ioves ferrent. Supplevit Coribantum ora Polonia, Cretam? Fama vocalior, & ad Regni tubam cecinit TARŁONIOS nisi in ostro nasci, in Purpuris educari, in Trabeis senescere.

Permitte Illustrisime Domine Vetustissimæ Domûs Tuæ ætates per purpuras recensere: Permitte illos quos avos abavosq; numeras Vestrorum meritorum senio grandiores iterum cunas ingredi: Trabearum fasciis innodari, quos jam mortalitate olim superi revinxere. Vtique & Phænices ubi sic ceciderint, iterum provolant a favillis, illasq; iterum resumunt flammas, quas multiplicati soles exstinxere. Fulgebit pulchriùs in sene infantia à Vestrarum antiquitas Purpurarum, & qui hodie vobis nascitur ad Antenatorum Cunas Honor canos induet. Vt nullus TARŁONVM sine purpuris nasceretur, Ottones, Zegotas, Novagios, Starzios, tamen illa Poloni Cæli Numina Vestro Ortui præmisistis. Nempe pulchrum fuerat soli Familiæ tot sarmatiæ sidera præivisse, pluresq; in Purpuris vixise dies ut vestrum haberent. Vestrorum Antiquitas titulorum, Illustrisimi fons generis, Sereni TARŁONII Aurora, Vir immortalitati vicinior, Illustrisimus Otto Starza, ubi jam satis sanguinis ad purpuras habuistis, vos suarum dignitatum hæredes voluit, & ceu magnæ spei vocabulum, à Czekarzowice Nomen divitibus adstrinxit cunis, ut scilicet nisi cum bonis nasceremini, optimis meliores. Et probarunt profecto in sorte superi sceros Nominis Vestri Ortus quod pulchrius esset;

C2 TARŁO-

TARLONES olim exspectatos ad purpuram, quàm purpuras exspectasse. Primam indolem majestatibus consecrastis, caput consiliis, manus Præliis, cor Patriæ; scilicet TARLONVM fuerat, etiam in Ostro bene mereri de titulis, & Augustos soles vel præcurrere ut auroras, vel sequi ut Lunas. Commendatam suis decoribus Domum Serenissimus VLADISLAVS IAGIELLO Rex Poloniarũ invictissimus, ut vidit; in cordis Regiã accepit. Tantũ arrisit Coronato pectori trabeatis amoribus nata Familia! Quid enim non animo habuisset tanta Sarmatiæ sidera, dies Coronatus? Nempe vespertilionibus tantùm odiosi soles non Aquilis: virus est si contra gemmas desudet, umbra si diem excutiat. Vnde non potuit Regali pectore contineri ingentis Prosapiæ amor, quin in Purpuras exarsisset vestrorum præmia meritorum. Primum Illustrissimum IOANNEM TARLO Sandomiriensem Palatinum ad trabeas impetravit honor. Nempe primi Lechiæ favores Augustissimæ Domus Gratiis debebantur. Charitum forum Vrbs illa, Palatinatus Augusto TARLONVM vultu sublimior festivioris Fortunæ Theatrum videbatur, quibus inter Coronata pectora Illustres Gratiæ colluderent. Quod gemmam insolitas illi vistulæ opes suo littore acceperit, tripudiabat Neptunus, & quasi mille Favoniis veheretur vel in mille Tagos exundaret, jam jam cum Balthico de margine certabat: jam Polarem suo intorquebat profundo inferebat undis, tunc TARLONIAS, olim opes exteras, pretioso ducturus alveo. Vtiq; jam admisisset ratem quâ fortuna Cæsaris vehebatur

nisi

nisi ingentis Familiæ gemma Ioannes altum arctasset. Quam magnum hoc Vobis Illustrissime Palatine! Tantum ad fontem Familiæ fecistis honoribus profundum! Ad auroram Prosapiæ tantũ meridiem! Pulchrum fuerat Vos primas ibi trabeas induisse, ubi mitræ exuuntur, inde titulos inchoasse quo Principes decesserunt. Verùm non tanti duxistis pingi purpuris ad curules, quin virtutes magnorum honorum Comites, Vestræ adlegisseris amplitudini: inter Purpuratos sedisse Patres, nisi pro heroë pectore stetissetis. Vt trabeas vobis honor sic Gradivus objecit aciem, & iterũ prælia indixit, ubi jam de TARLONIIS duella fluere. Iam Mars Turcicus classica intonare, instruere aciem Pharetris sagittas implicare, Arcum protendere, parare vulnera. Quam grandis futurus fuerat conflictus, quod soles essent cum luna pugnaturi! Vobis Serenissimus Vladislaus qui purpuras contulit, commisit & sanguinem barbarorum. Vobis Atlantibus imposuit Cælum præliorum, Polonus Iupiter: Vestris manibus compressit Clavas, plantavit laureas. Quis tunc Illustrissime Domine Vestrorum Armorum sensus? ipsum se vobis levabat ferrum implicabant sagittæ, ingerebant hastæ, quia Achilles viderant cum laurea redituros. Præstolabantur buccinam militarem Polonæ Aquilæ, enses inquirebant hostem, fulminum boatus resumebant tormenta, & quamvis ante æstum belli, nulla armis calentior sitis fuerat, quàm sanguinis. Mille nodis Polono lateri adstringi debuerãt mucrones Lechici ne sarmaticas Aquilas prævolassẽt, prævenissẽt prælia, præcidissẽt laureas,

D

reas ſuſtuliſſent hoſtem, quem nondum TARLONVM Aſcia notaſſet ad vulnera deleviſſet ad mortem. Vtiq; veſtræ mentis impetu Heròës dexteras præcurriſſent, niſi maturioribus triumphis ſervarentur, quod ſæpe glorioſiùs triumphaverint Cunctatores, quàm Fabii. Camenecum uſq; ferenda erant prælia, enſes ultra limites Poloniæ promovendi, ut heroi animo ſatisfieret, cui votũ fuerat in Patria, Conſiliis triumphare, extra Patriá, pugnare pro Patria. Noverat nimirũ Illuſtriſsimus Mavors Lechicus Ioãnes Palatinus, floridiùs Domi revireſcere Lauros, quas peregrina tellus tulerit, pulchriùs vernare triũphos, qui extero agro ſurrexerint ad trophæa. Ivit fulminibûs, ocyor Heros, tanto animo, ut Gradivũ putaveris, tanto robore, quaſi Caſtriori dexterã, Scandebergi gladium habuiſſet. Ivit inter lituorũ ſonitus inter tubarũ clangores, inter tormẽtorũ pondera vir etiã telluri gravis: quid Hoſti? Nam totum ſecum Cataphractæ Lechiæ circumtulit ſenatum ne unus putaretur qui Poloniã faceret univerſam. Nec diu vota Populi Biſtonio circumligari ferro permiſit (: neſciunt moram TARLONII, ubi urgent triumphi :) turpe duxit inter belli vincula gentem liberam jacuiſſe: venit veluti ad Gigantum bellum Jupiter vel Hercules ad Hydræ necem. Quæ tunc obſeſsæ urbis acclamatio? qui ſenſus? quæ tripudia? quis terror hoſtium? non tam altum inhorruiſſet Erebus ſi cataphractus Iupiter cum fulminum exercitu ſtetiſſet. Deorum tantum hoc Illuſtriſsime Domine; niſi TARLONIIS etiam tribuatur eodem vultu, & gratias ſuſpendere, & fulmina. Cælo tantum vehuntur

Illuſtriſſimus Ioannes Tarlo Camenecì propugnator.

tur

tur Numina quæ ubi festiviori fronte terras rapiunt ad pectora sagittas vindices nubibus suspendunt ad terrorem: vel soles sunt, Deorũ supercilium indu ti, quos nemo & sine nube adspexerit & viderit sine luce. Impune ferre non poterat armorum vestrorum ortum, ad Lunæ tenebras damnata Bistonum pupilla, nempe pronum fuerat suspicari TARLONIOS & diem sparsuros in Patriam, & fulmina in hostes, ubi soles in Marte steteritis. Fortalitium illud, Martis Lechici tentorium, Poloni roboris receptaculum, Vrbs illa facile princeps Camenecum quibus non votis eruperit? quibus non clasficis TARLONIOS defensores Podoliæ, Patriæ servatores inclamaverit? suo profundo detineri non potuit rupes, quin ad TARLONII Martis lituos omnem movisset lapidem, Vobis in obeliscos dolandum, hosti in sepulchrale marmor. Nunquam sic tripudiassent Thæbæ si illis Amphion cecinisset: ingressus Marpesiam arcem votis publicis circumductus veluti Alpes Annibal Illustrißimus IOANNES TARLO, & mænia suis cardinibus exporrecta, rupem suis periculis tremulam gravi presßit vestigio, & firmavit: jamq; conclusum fuerat Bistoniæ Hydræ non cedere, cum propugnator Hercules venisset. Nec moram fecit ad laureas. Robur omne circumsepsit mænibus militem conclusit Arce, excivit tormenta, succendit pyras, rupe suspendit iram, ut jam prælia putarentur ubi præludia fierent præliorum. Non licuit tamen Divino Herculi ad superstitiosæ lunæ eclypsim festinare, nisi prius ab Aris radium derivasset. illiq; litasset soli, qui & lunas inflammat & exstinguit. Aris se intu-

sit votis superos prius expugnaturus miles quàm homines. Vix sanctius Pietas litasset! Laurearum pondere depressam ad genua deflexit majestatem vel tunc integerrimus Heros, cum ad Aras medius videretur. Tam sancto sub onere sudabant marmora, tantis Ardoribus gelidi silices defluebant, & omen fuerat tot alveis fundendi Bistonis, quot guttas superi manassent. Neque enim Martem inter Cælituum sphæram, neque Heroëm animum inter Deorum Pulvinaria reliquit: totum secum Cælum circumtulit, ut prodigio haberetur si non compressisset barbarum, qui jam superos votis duceret interceptos. Ab Aris ventum ad victimas Honori TARLONIO immolandas; a suspiriis ad classica, a Jove ad Martem. Achillem Centimanum inter stridorem ensium, inter armorum fulgura, inter tormentorum tonitrua desudare, disponere aciem, retorquere tela: vel Romanum Curtium putares, nisi TARLONII facti magnitudo longius nomen meruerit. Breviter summa! Accinctus ferro vir tantum non aureus, veluti novus Annibal Martem suspendit rupe, intendit Arcum, intorsit tela tanto fulmine, tanta peritia, ut Cæleſtis Arcitenens ad Arcum venisse crederetur, eo quod nunquam a morte deflexerit. Tantum totam præliorum molem noster Atlas sustinuit! nec opus fuerat in belli comitem quenquam Herculem invitasse, vel Achillis hastam vocasse ad vulnera. Tam forti Marte manum intendit ad ictum, quasi orbem totum illi in ensem cudissent Superi. Illud tantùm timebatur, ne uno vulnere fudisset, castra, delesset exercitum & ultra votũ triumphasset quod noverit inter maturiores

riores laureas ſemper pulchriùs finiri prælia, eſſeq; Fortunæ aleam non roboris illis Capitolio inferri Victoriis, quæ uno Marte conſtiterint. Vtiq; pugnaſſet ampliùs, niſi Virum ipſa pericula fugiſſent: protendiſſet manum ad vulnera, ni palam eſſet de vulnere inter barbaros decertari, amari mortes, quæ Poloni Achillis TARŁONII dexterâ excidiſſent. Sed nec diutius inſiſtendum fuerat Bellonæ: ad tanta belli fulgura Turcica Luna lucem exuit, ad tantum præliorum æſtum refrixit, ad tanta ſanguinis profluvia in Rubiconem decrevit. Nihil jam ab hac tempeſtate niſi ſanguinem depluiſſe videbatur, Nepotibus TARŁONVM, per laureas ad purpuras referendum. Et jam ut fortitudo barbaros ſic Solimani exercitum fugit anima: ſola pro victoris ſpolio vulnera reliquit, grandes quos poſteritas per inciſa legeret Veſtræ Illuſtriſsime Palatine fortitudinis characteres. Erant tamen quos TARŁONIÆ ab enſe feriæ ſuſcitaverant, ne ſine Mercurio clades fieret, Erant quos ubi ſanguis deſtituit, revocavit furor ad animam, coegit ad fugam. Tantus etiam mortibus à vobis terror! Prius tamen quem TARŁONIO ferro indignum cenſuiſtis, muris ſe ſe admovit Turca, ac fædo vulneribus enſe cruentum nævum pro mænibus ſcripſit (: etiam enim rudes lineas Veſtri metus manû excuſſerat :) & veluti in enſe juravit Lunam brevi ſua ult[illegible]am deliquia. Concrepuere ſolenniùs Tubæ (: triſtius tam funeſtis mortibus adgemere debuerant) quaſi fugitivum barbarum inſequeretur victor animus, iterum ad vulnera revocaret. Rupes illa ultra ſe ipſam, porrigi

rigi videbatur, triumphaliq; preſsa veſtigio, tantum non ſuperbiit, quòd tot laureis ſuffecerit. Non longum jam aberat ut ambigeret, utrum rude illud Saxum inter tot æſtus, TARLONIÆ frontis radius in adamantem non excoxerit, non poliverit in gemmam, quam victor Antonius bibiſset. Vt in Deorum ſimulacra vel in Rhodios formaretur non ultra ſe putaverat, dignum cui Deucalion humanū vultum induxiſset, quô TARLONIOS declamaſset vocaliùs. Tantum triumphis Veſtris etiam inculti lapides movebantur. Jacuit interim immenſo vulnere proſtratus, ceu Prometheus veſtri reus radii ſub Caucaſo Scytha fæduq; illud cadáver, veluti ſe rupi ingereret pulchrū duxerat illo cōdi lapide quo vobis laureæ revixere. Cinxit longa ſtrage mænia, quaſi etiā poſt fata triūphantem urbem complexu ſtringeret TARLONVM amaret victorias. Et jam ſub pacis Oleis ſuſpendiſtis Enſes TARLONII, ſagumq; iterum commutaſtis Oſtrô, nempe Gradivi in purpuris, in ſago fuiſtis Senatores. Nec tamen feriari viſa in vobis ad famæ lituos proclamandis, Thraciæ Domitoribus, grata Patria. Tota ſiccato vultu effudit ſe in gaudia, Annibalem Poloniæ TARLONEM ſarmatiæ Achillem, Orientis fulmen, Animam Regni, inter triumphatorum buſta, inter victorum trophæa repoſuit: Vix non honorum Aras invictæ Domui erexit, niſi compertum eſſet vos maluiſſe integerrimos eſſe homines quàm Semideos. Vbi Belli uſibus purpuras cum ſanguine impendiſtis, ſe vobis etiam pulchro ſtudio, purpuræ impenderunt, non longumq; aberat ut poſt prælia iterum

tituli

tituli arma caperent, & de vestris humeris cruenta acie trabeæ certarent, qua funderent venam in muricem vestris meritis concolorem. Tantum in hoc sudatum est ut nova bombycis viscera vix non cor ipsum in fila vestræ trabeæ ductum, ligandis laureis sufficissent, illoq; nodo vobis titulos adstrinxissent quem non revinxerit Alexander. Tanto plausu in sinum regni devectæ Ioannis Palatini ma nubiæ, tanto pectore victoriæ acceptæ! Sed hæc Tri umphi TARŁONII tantum exordia. Vtiq; Vestri Illustrisime Palatine roboris est, ibi cum Achille prælia ordiri ubi Hector fatiscit. Stitit tantum sanguinem Poloniæ Illustrisimus Ioannes Palatinus sed nondum cruenta tersit profluvia, ut TARŁONIO Marti plus daretur. Excivit se se a vulnere veluti Morpheus a somno Scytha, reflectere parabat vulnus quod vester Mavors in Thrace sciderat. Anthæum putares a suo casu surgere fortiorem! sed o vanos conatus suo adhuc sanguini innatantis belluæ, cum nondum Hercules decesserit! Non vobis jam scuta, non galeas non gladios indixit Polonia; tantũ prima acie crevistis ut Vobis Cataphracti Herculis exuviæ Pigmæorum abolla fierent. Regale Vladislai Serenissimi inductus supercilium Illustrisimus OTTO TARŁO totam armorum molem sustinuit. Vltra Polonos limites (quod ingentem Virum unus Orbis non ceperit) Legatus ivit. Zopyrum dixerim Trabeatum cui perinde fuerat gentis cepisse linguam ac animum. Extimuit aggressor olim Podoliæ Scytharum Turcarũq; furor quod in uno, TARŁONIO Polonus Orbis confluere videretur, & ense quem vindex animus

 por-

porrigebat, oleas subscripsit. Nunquam festivius a Gallicano Hercule dependisse vidimus triumphos quàm a Vestro Invictissimi TARŁONII ore victorias. In Gratias abire videbantur Scythici furores &quasi Tigrides cicurati, in vestros se se formarunt nutus, ac si, cũ oracula panderetis, Prothei filo instructâ Citharâ Orpheus pulsasset mulcendæ feritati. Grandiorẽ pilũ præstolatus olim Fabricius, antequã pro Latio Orator, antequam pro Pyrrcho Legatus iverit, longo sole decoram Canitiem exspectavit. Vos Illustrissimi TARŁONII ita cunæ fundunt, ut natos Legatos faciant, illamq; augusto supercilio affundunt majestatem, ut vel a Fasciis possitis liberius vultum Patriæ proferre, & ore regna mereri, Sed infra Achillem sarmaticum bella Vobis videbantur & victoriæ, pro quibus tantum facundo oris conflictu pugnaretur, non Armis. Pudu it scilicet viros infra ferreum fuisse Stylum, post lingvam auream. Illustrissimus NICOLAVS TARŁO invictus hastatæ Phalangis Præfectus. Quan tus hic vir! Achilles Poloniæ, Numen Heroum quasi adhuc in Cunis Marti juraverit, planè hostium sangvinem prius sitiit quàm Materni pectoris nectari suffecerit exsugendo. Vix teneram egressus jam Veteranus Heros, jam in sarmatici Martis tentoriis quasi ferreo Bellonæ thoro exiverit, totus chalybeus effulsit. Nunquam sine laureis visus, nunquã sine triumphorum comitatu, Dux ipse, ipse miles, ipse Castra, ipse Exercitus. Camillum Lechiæ fasti referunt, qui plures triumphos recensuit quàm milites, plures acies quàm Annos. Ipso tantum Jove minor visus ubi fulminaverit ab ense, ubi manum

num ferream vir aureus intorſerit ad ictum, mortis vulnus, vix toto ſæculo obducendum. Sed neſciverunt diutius ſine TARŁONIIS Trabeæ feriari. Commodarunt tantùm vos ſago purpuræ quod ſcirent invictiſsimos, non donarunt. Revocarunt humeros ad Oſtrum tantumq; laboratum eſt, ut TARŁONIIS etiam grandiores Trabeæ ſuffeciſſent, quod tam ingentes viri inter belli ſtrepitus, veluti regnorum gemmæ inter fulmina creveritis. Auſus tamen Vobis jam tot præliorum laboribus feſsis, ſeſe injicere Honor Lechicus, invitare ad Curules, tantum non ad ſolia ſceptraq; quod Reges fortium eſsetis. Illuſtriſsimum SIGISMVNDVM TARŁO & Regii virum Nominis & indolis, Bełzenſem Caſtellanum purpureis iterum in vultum Regni pinxit coloribus, Purpuratorum Patrum Conclavi intulit, & quidquid coronamenti habuit, totum in auguſtiſsimam TARŁONVM Domum congeſsit, ut numero compenſaret quod non potuit præmii magnitudine. At rapuerunt iterum Viros laureæ. In longum titulorum nodum adſtricta trabearum fila intra dignitatum ſinum vos detinere non poterant. Quis enim tam liberum animum honoris arctaſset nodo? adhuc vaginæ incluſit enſem Moſchua adhuc furor barbarus quaſi cum gladio conſultaret lateri affixus, nondum bella ad lituos divulgavit, jam Illuſtriſsimus Poloniæ Gradivus PETRVS TARŁO veluti fulmen ſeſe jaculatus in hoſtem, tantum non Aquilas prævolavit, tantumq; non Herculis ictu turpi belluæ inflixit vulnus cui vix ſæcula medecentur. Erant Illuſtriſsime Palatine qui vos tunc

 declama-

declamarent ad famæ lituos, erant qui Achilli qui Gradivo anteponerent, qui fortunas belli dicerent, evolverent laureas, laudarent victorias. Erant qui pro vobis superis litarent, laureis Vestris cumularent Aras, ornarent Altaria, semper suis bellis exposcerēt TARŁONIOS a quibus Senatus Oracula, Castra triumphos, salus publica bonum haberent immortale. Erant qui vultum, ad quem in hostium terrorem posteritas formaretur, sub Apellis darent lineas, Heroëm animum transferrent in tabulas, æri inciderent, multaq; imagine ostentarent,non Lacænā tantū viros parere Alii gladium pulchro suspendiô, lateri TARŁONIO affixum, Gradivo, (nisi quod mensuram Martis excesserit) appendebant, dignum ajebant, quem Honor in sceptra recuderet, in clavas Ducum, rursus conflaret in Coronas. Conclusum tamen quod ipse ensis expósceret, ut intra Majestatē gladii teneretur, & in Avito STARZA inter fasces perennaret ferrum triumphale. Vnde ubi jam hostis vestris cladibus projectus longa strage jacuerat, tandem in sinu pacis reposuistis Martem Heroës Sarmatici, quod jam manum laureis gravatam habueritis, ut nec gladio locus fuerit cum hostis deesset. Quantum vero tunc ingemuistis hoc sub pondere Atlantes, quod nullum vobis bellandi onus incumberet?ubi Vestris victoriis festivior Polonia arridere videbatur, tantum non fasciati Herculis luctum imitati, doluistis in posteris, quod in Vobis amari vidimus. Audivimus profunda Martis suspiria: audivimus impatientis animi querelas vix non vidimus inflammatos

belli

belli ardore oculos, lacrymis exundare, quod nullus esset quem TARLONIVS ensis funderet. Iamq; pronum erat de vobis suspicari quod bella cupiveritis, eo quod amaretis triumphos. Iam Vestro robori indignati, olim demetendis Laureis non vestram manum, non TARLONVM animũ exoptastis. Dixistis! ubi Vos Martis æstus adusserat: lentiori utinam passu processisset Fortuna præliorum, tardiori impetu vaginâ gladius erupisset! o! utinam fulmineam ad bella manum feriæ ab ictu revocassent! retardassent ferrum a vulnere! ita de diuturnitate præliorum contendebant TARLONII! ita Heroico æstu accensi insultabant hosti quod non surrexerit ad vulnus. Indignabantur manui quòd tam matura acie conflixerit: damnabant ferrum quod tam grandem ictum tentaverit, quo integer hostis caderet. Nec tamen Vestrorum triumphorum magnitudinem finis conclusit præliorum. Nempe hoc TARLONVM fuerat, etiam inermes triumphare, & a tranquillitate publica derivare Laureas, in quas jam Mavors Lechicus non floreret. Pulchra acie bella indixistis honoribus, & purpurarum Legiones meritis oppugnastis. Non ferrum expugnandis titulis objecistis Ajaces Trabeati, quòd jam multo sanguine perfusi stillarint muricem, & veluti cruento sudarunt profluvio, ut TARLONIIS exundarent. Parces Illustrissime TARLONVM sangvis, si pressa prælo sepia unum, pulchrum tamen TARLONIIS nævũ appinxerit. Cũ tẽpore veluti Heroẽ Animũ exuti in spoliũ cesſistis marti Domestico Nũquã tamen fortiores quàm dum sic victi. Quos olim per

Regna circumtulit fortitudo tandem profligavit Fortuna TARŁONIOS, & in pretiosa vincula con jecit Domũ liberã vestris meritis devinctus Honor. Grandis hæc vobis fuit, sed pulchra confligentium Vobiscum titulorum Alea! Iubes Illustrissime Palatine hoc ad famæ lituos vel (ut pro dignitate præliorum sit classicum,) ad TARŁONVM tubam cani? ubi armis ferias concessistis excivistis prælia titulorum. Parcite calamo inter atros præli colores Vos candidè pingenti. Vos Trabeati belli fomites, Vos honoratæ rixæ irritamenta fuistis. Multum peccastis in purpuras quod Trabeas mereri nolueritis, cùm ad Trabeas ivissetis per merita. Vestrâ modestiâ lacessitus Honor Vobis ad Regnorum soles diem, ad Nobilitatis Castra litem dixit. Per Regni Curias, per Aulas Regum, per Senatum de vobis conquesta dignitas, ultionem inclamarunt spreti tituli, & ritu Catilinario jurarunt Purpuræ, ut TARŁONVM sangvinem per trabeata prælia mererentur. Primum vos amoris telis in IOANNE SOBIESCIO Serenissimo ac invictissimo Poloniarum Rege aggressus Honor, & pulchra lite certavit de sanguine, quod jam Regalem venam & diadema merueritis. Pulchro consanguinitatis nexu adstrinxere vos sibi sceptra, trabeatis vinculis illigarunt Purpuræ interceperunt tituli, ut jam ultra libertatem TARŁONVM esset non trabeatos fuisse. Vnde Domum Vestram Coronato devictam Marte audacior invasit dignitas, & murice quem Purpuræ stillarunt notavit aulã qua tot de vobis præliis lassus stativa Honor figeret. Involarunt illico Vestri exspectatione siccati Scipiones, magna

Illustrissimorum Tarlonum Colligatio cum Serenissimo Ioanne.

magna acie se se Purpuræ intulerunt, Regni Annu li interceperunt dextras, ut perennaturo nodo, sibi adstringerent TARŁONIOS, ut intra Regni limi tes, sic intra boni publici curam detentos. Ita sede Vobis vindicavit Honor Lechicus: Ita triumphavit dignitas! Erubescere debuistis in Purpura tam pulchrum in trabeas crimen. Qui enim quantiq; Senatum implevistis? sunt qui familiarũ lineas ut infinitas probent per partes successione quadam dividunt ad titulos, ne per curules Viros exhauriant, si Plures simul obtulerint. Plurium Prosapiarum Majestas ceu Cælum est quoddam dignitatum, quod unum tantum in diem accendit solem, ubi alterum exstinxerit. Nullibi plures ut stellæ simul fulgent in trabeis: nullibi plures ut fontes in mari exundant titulis: in una tantum Illustris sangvinis stilla rubent, et am ingentes Prosapiarum Oceani: in uno efflorescunt ramo in muricem altissimæ Consangvinitatum arbores. Vobis immensum titulorum Cælum ingredi non licuit nisi ut Lunas, quæ totum siderum senatum circumducunt, & nativo lumine Cælum faciunt. Non per ingentium virorum seriem, quasi succedentiũ sibi annulorum Catenam in Paginam deduco TARŁONIOS; Orbis dignitatum estis, turba Patrum, exercitus Trabeatus & quoddam purpuratorum Regnum, Iam Illustrissimus IOANNES TARŁO, Sandomiriæ Palatinus pulchrum sereni Vestri mane, jam Tu Illustrissime Domine maturioris Prosapiæ grande sidus. Duo Arctare curules potuistis nisi magnitudine meritorum immensas fecissetis, Illustrissimus NICOLAVS TAR-

ŁO Regni Cancellarius, Ioannes Castellanus Radomnensis, Pilznensis Łomzensis Capitaneus, Ioannes Vexillifer Leopoliensis, Carolus, Stęzycensis Capitaneus, Hieronymus Podoliæ acerrimus defensor & quasi Dux triumphorum, vel ideo summus, quod major esse noluerit. Serenissimi Sigismundi munificam dexteram expugnavit & vota. Sandomirienses trabeas deprecatus, rubere in ostro noluit vir candore notabilis. Debuit tamen Illustrissima TARŁONVM Familia tantum Patriæ votis obsequi, quantum meritis placuit fæcundari. Curulibus intulit Illustrissimum Sigismundum TARŁO Bełzensem Castellanum, Alterum Smolęscensi purpuræ concessit. Illustrissimum Progenitorem tuum Mecænas munificentissime Lublinensi Palatinatui præfecit, ut haberes quos dotibus & meritis Ioannes præcurreres, titulis sequereris. Inde Tituli Tui magnitudinem metire Palatine Illustrissime, quod tantis successeris veluti Achilles Herculi, Philippo Alexander. Vltra trabeati Cæli suprema sidera, Te dixero, quē tanti soles præcessere. Illustrissimus Alexander TARŁO Palatinus Lublinensis summorum Vir in Patriam meritorum: mensuram Nominis excessit: Orbis terror fuisset, nisi a Trabeis amaretur. Illustrissimus Ioannes Połaniecensis Castellanus Vestrarum Curulium decus, frons senatûs, tantum non caput Lechiæ, si non à diademate deflexisset. Illustrissimus Hieronymus Lublinensis Palatinatus Purpurarum Numen, ore Consus manu Gradivus pectore Regum amor, viva tuarum Dotum imago. Dignus qui orbe toto circumferretur in trabeis, exponeretur,

cul-

cultui veluti vestræ Sanctimoniæ Idea, coleretur ut sanguis TARŁONIVS, amaretur ut Pater Patriæ. Sed quid Prosapiæ Vestræ immensum vocem ad lineam? ultra præli colorem est TARŁONES pingere: ultra calami majestatem illos vocare ad numerum quos sæcula recensent. Vos Lechiæ fasti per trabeas, vos per purpuras Sarmaticus honor, Vos per sublimes titulos altum declamāt merita. Satis fœcunda virorum sibi videbatur tunc Polonia dum in duodecim trabeis olim culta, tot Palatinos præfecit sceptris, quot nondū Reges viderat. (Forte vos adhuc Illustrissimi TARŁONII intra Lucinæ sinum fasciæ tenuerunt vel in cunis adspexit Honor quod Palatinos non dixerit) Decemviros trabeatos Sandomiria, septem Marios in purpuris Lublinum vos accepit. Quantum hoc vobis! Regnum Purpuratorum esse potuistis vel Orbis titulorum una Prosapia, nisi infra vos fuerit intra dignitatum sphæram videri, Honorum circulo circumscribi. Indulgete Sarmatiæ Numina TARŁONII adhuc per immensum Vestræ gloriæ ferri calamum. Sanguinis Vestri amplitudine immensitate meritorum Fortunæ orbitam excessistis. Po[st]quam corda Regum, Poloniarum pectora exhausistis, tantum in trabeatum cultum protendistis bombycis viscera, ut rumpi debuerit in vobis Fortunæ filum, nisi vestræ integritati respondisset. Credo ego Illustrissime Palatine quod ad incitas trabearum redactus Honor Lechicus, in Colchidem tranare debuerit ut lacertis sufficisset, divitem lanam Cæsesti agno detrahere, qua ad mensuram humeri stamen duceret, quod jam Iasonis opes, vel immen-

Illustrissimi Tarlones in Palatini Sā domiria & Lublinēses.

 sas

ſas Cæli trabeas TARŁONII mererentur. Sed timuit ſibi Veſtra amplitudine arctatum agmen Superum, ne olim deeſſet TARŁONIIS in vellere perennaturis curulibus inferendis. Suum Eliſiis nutrivit Arietem, quotidiano penſo ad libram ſolis, ſeverus exactor, vellus repetiit Iupiter, & veluti Argum ageret, vigili cælo circumſpexit, ne pretioſior lana in trabeas texeretur, quas non lacerti TARŁONII occuparent. Et jam infra vos Purpuræ videbantur quod ultra purpuras eſſetis. Immutaſtis colorem trabearum non deleviſtis. Vt poſt purpuras in violis floreretis TARŁONII, Romanus decrevit Honor, jamq; concluſum fuerat, ut quos Orbis non ceperat viros, Tiaræ comprehenderent, occuparent ſtalla Præſulum interciperent Pontificum Annuli, Paſtoralitii fulcirent Scipiones inter ſe dividerent tituli, pretioſi ſanguinis uniones. Aris vos impetravit Eminentia Vaticana, quod nihil ſanctius TARŁONIIS haberet Polonia. Et ut pro majeſtate ſanguinis eſſet dignitas, Divina illa ſupplicia pectori affixit crucem, quâ Romanæ Gratiæ dependerent. Iamq; ad crucē tacto pectore vix non juravit Latium jam TARŁONES ultra medium creviſſe ad Eminentiſsimorum titulos, ad ſanctiſsimorum cultum, ad Triregia Vaticana. Magnum hoc ſed nondum ultra TARŁONIOS. Equidem relicto orbe (quod jam vos Cælo permiſtos & ſuperis vellent merita) admiſiſtis in verticem culmen ſacrum, Eminentiæ veſtræ ſignum, ut eſſet quod TARŁONES diſtingueret a Cælo, diſcriminaret a ſuperis. Metropolim Ruſsiæ Archipræſules occupaſtis, Epiſcopi Premisliam Po-

ſnaniam

ſnaniam Pontifices parumq; aberat ut vos partibus inferret Honor quod ſub violis viderit integerrimos. Illuſtriſsimus Reverendiſsimus Archipræſul Paulus TARŁO Piſcatoris Annuli gemma, Altarium decus Templorum nitor, Rex Sacrorum Leopolienſi Tiaræ, altum Capitis ſubmiſit, ne extra diadema Pontificium eſset Proſapiæ ſanctitas, quæ jam ad Regni Trabeas, & Curules tantum, non ad Coronas vocabatur. Quis tunc à vobis Illuſtriſsimi TARŁONII urbis decor? Superos pro incolis concludere videbatur, quod jam vos veluti Ioves Aris præeſse noverat. Quanquam nihil quo ad gloriam comeretur penes vos non detractum ſibi feſtivius ſalsa Metropolis, Vbi alto ſangvinis Sublimes, Sanctitatis Præſuleæ celſitudine immenſi, ideſt pares vobis ſurrexiſtis ad Infulas, ita urbis auguſtæ decora decreſcere coëgiſtis, ut ſoli TARŁONII in Vrbe viderentur. Sic ſtellis Lucem ſoles detrahunt, ut in diem promoveant: Sic Oceani exhauriunt fontes ut mare faciant. Vnde ut non infra majeſtatem ſic non infra metum fuerat Vrbs, Præſulis TARŁONII ore pulchrior, ne frontem ampliores vittæ raperent. Nempe ubi vertice Præſuleo Paulum fuiſse legerat ſuorum decorum hæredē, timuit ſibi Diæceſana Curulis quod noſset nūquam Petrum Romæ imperaſse ſine Paulo. Quare ſupplicatum veſtro Sangvini ut Petrum quoq; donaſsetis Infulis, quo ultra Polonam Sanctimoniam plus nihil haberet Roma, quod præter caput orbis, infra Vaticanam Eminentiam nihil minus Polonia. Illuſtriſsimum Reverendiſsimum Petrum TARŁO Poſnanienſis Infula accepit. Illuſtriſsi-

ſtriſsimũ Reverendiſsimũ Bartholomæũ, ſcipio Paſtoralis Illuſtriſsimũ Reverẽdiſsimũ Stanislaũ TARŁO Premislienſis Tiara rapuit recepiſset vavellus niſi Aris ſuis jã in cultu habuiſset Stanislaũ. Quã ſanctũ hoc vobis tanta nomina tuliſse, impleviſse Pontificum ſellas, occupaſse Altaria, illos Præſules genuiſse, quos etiam Roma inviderer: Domum veſtram veluti Cretam fuiſse quô niſi Ioves Infulati venirent aris ſub violis inferendi. Optarunt vos Poſnanienſes Infulæ, ſui culminis orbe Majores gemmas, & ſuis intulerunt aris ſacrorum Numina. Kijovienſes Paſtoralitii ſcipiones Pontificem manum, & impetrarunt. Talem contermina etiam Cælo virtus optaret Proſapiam, tales Nepotes Probitas ſuprema ſi naſci poſset. Iam deſinimus mirari veſtri inter Paſtorales violas florem ſangvinis. Vos tam Cælo propinquiores vidimus, quàm viciniores colori Cælico. Sive in trabeis ſive ſub violis floreretis, tantum pulchro pudoris minio rubuiſtis, quaſi venam derivaſsetis a Superis: digni quos ad ſangvinis cultum ad ideam in tabulas referrent Poſteri, coloribus inumbrarent, niſi infra TARŁONIOS fuerit picta ſanctitas. Pantheon virtutũ in Vobis colit Polonia & quandam illibatæ vitæ imaginem, quam non ſuperſtitio profano cultu adoret, ſed Polona pietas imitetur, in ſacri ſenatûs Aris appendat, in Regum pectoribus, in Templis. Quanquam jam vultum Veſtrum Templa referunt, jam egenorum turba veſtram manum, purpuratorum Patrum Curules ora, & veluti penicillum ſuppleant TARŁONIOS murice depingunt. Quid enim Illuſtriſsime Me-

cænas

cænas in vobis non Antenatorũ Ceris, non Vestro-rũ Majorũ imaginibus, idest summæ probitatis coloribus affine? Ita in Vos transtulistis sanctimoniæ prototipon à tabulis majorum, ut in vobis sanctius vivere videantur, illasq; TARŁONIÆ frontis lineas emendare, quas Antiquitas erasit. Neq; enim sanctitatem, fumosis Ceris inhærere permittitis sed veluti siderei homines vel Ioves Purpurei. Virtutum Cælum sub trabeis circumfertis, mentem per Superos sparsam ad pios recessus colligitis, & non prius orbē aspicitis quàm sidera, non vobis prius d ē vivitis, quàm Astris. Quanquã etiam terris vivitis sed solis more, qui non dum bene experrecto a somnis oculô, Cælo, veluti theatro Gratiarum se infert munificus: Nullum intorquet radium, quo non lucem auream non dona dispenset. Anima quædam estis, pretiosusq; emorituræ spiritus egestatis. Tot Diviniores Prometheos a fabulis in historiam revocatis, quotquot projectos in extremum fortunæ liberalius erigitis, ut divitem flammam rapiant, & veluti vitam. Nunquam vos vidimus nisi graviori ad munera manu, pretiosaq; dexterâ quasi Midæ Sangvinem intra vos vel venas opum haberetis. Nihil vobis quod vivo non fulgeat obryzo: etiam oculus aureus & planta non vilis. Plures ab aspectu munifico quibus prospiciatis egestati liberales Gratias numeratis, quàm Argus oculos; Adimitis fidem fabulis quibus fortuna suæ affixa rotæ, semper cæcutiit, quod illi ut extra oculum sic non infra tormentum fuerat miseris subvenisse vel respexisse ad calamitatum umbras. Oculatos etiam in manu vidimus TARŁONIOS, &

veluti pupillas Cæli, auro fulgentes, nullâ supervectos rotâ, nisi quæ Gratias referret, & nullam Parcam. Concedimus paulisper calamum illis quos jam vobis minores habetis, nos summos quia TARLONIOS. Vtiq; hoc quoq; non infra vestræ sanctimoniæ est seriem, quo Cælos superi adaugent. Vt in trabeis Proceres Illustrissimi perennaturos vivatis soles, vestrum sangvinem jam venis superum concolorem ab umbris revocamus, suscitamus a tumulis. Vocalius TARLONVM sanctimonia decantabitur, ubi ad Hieronymi lapidem deflexerit. Quid vobis etiam in morte sanctius? Probinos vos cunæ accipiunt, tumuli Cælestinos. Illustrissimus sangvis Vester Hieronymus TARLO Palati nides Lublinensis, olim spes Regni hodie luctus, & irritamentum doloris! Augusti nostri amor, magna pars Familiæ, Superum Concivis, quam sancte obiit? Nunquam sanctius clausissent, si mortalis vitæ scenâ Cælestes Gratiæ inchoassent. In Aprili ætatis Autumnum fecerat meritorum, quod falcem meruerit: mole virtutu premi debuerat quod tantum ceciderit ingentis Vir ponderis. Sic cadant utinam, qui cum TARLONIIS surgere nituntur! Sic in teneris vivant, ut maturiores purpuris moriantur! Vidimus multos Illustrissime Palatine fatorum imperu projectos jacuisse quà ocnciderant: Vidimus inter fatales casus terræ defixos; nec ad superos levasse frontem tot angustiis gravatam. Anchæi casum emendavit dejecta vitæ fastigio Hieronymi indoles. Quoties fata depresserant, toties erectus animo vultus vestros Cælo sustulit, quasi sidera magnetem facerent ferrum induerit

duerit vir aureus. Cedere tamen fatis debuerat: quod nondum mortalitatis legem excesserit; Sed veluti TARŁONII Cæli sol deciduus, qui ubi parvam Illustrem tamen diem fecerit, nunquam major fuerat quàm in occasu. Intulimus grandius ætate corpus ferali Vrnæ, veluti gemmam conchylio, grandiorem Virô Animam Cælo, tantumq; sudatum est ut illustres exuviæ terræ cederent, quod jam perennes Aras tam sanctus exitus mereretur. Quam lugubre hoc terris funus! quam Nobis luctuosum! quam Patriæ deflendum! Regni faciem funestavit umbris sepulchri confusa TARŁONVM serenitas: sanguineos luctus excivit tanta nubes! Quare cruentas lacrymas stillarunt murices, grandiores gemitus dederunt sperati tituli, ingemuit Honor, triste conquesta dignitas, Regis oblita flevit majestas Coronata, tantumq; luctûs fuerat, quasi Patriæ funus, Poloniæ cadaver, dignitatum urna efferretur. Parentavit Honor funeri, inter lugentia marmora, inter flentes suis ignibus Ceras, tantumq; non dolor exstinctum ploravit virum, quod unum fatum duplices lacrymas meruerit. Parum morti concesimus, quod non multum Vobiscum fata valeant. Ad occidentem Vestrum, calamum divertimus, ut palam esset TARŁONIOS etiam inter sepulchri noctes nunquam fuisse sine Honorum Ortu, Orbis lacrymas mereri, luctum publicum si ante Purpuras occiderint. Ita est Mecænas Illustrisime Honorum album meremini etiam inter Atros paginæ colores relati, ad purpuras candidati etiam dum mortibus palletis. Pulla vobis in Togam degenerat, sepulchri umbræ in Illustrisimorũ

 titulos

itulos, Vrnæ in Curules, in Iudicum sellas in solia Dignitatum Anima estis etiam post vitam, post sanguinem fatis exhaustum, altus trabearum color. Tam matura vobis est dignitas purpurata ut inter TARŁONVM Atria senium habeat, exspectet urnam. Rugā in Domo Vestra cōtraxit Honor, & nihil antiquius videtur quàm TARŁONES in Purpuris, nihil quod novitatē faciat, quā purpuræ sine TARŁONIIS. Vos illibatæ virtutis minium in trabeas colorat, vos derivatus a superis sanguis pingit in purpuras: Vos Patriæ Patres cunæ, vos trabeatorū Exercitū maturior ætas, Vos seniū declamat Senatores, & ut pro dignitate sit meritorū pro ātiquitate sāguinis, Illustrissimarum Hæredes Purpurarum.

Multorum meminimus plurima prætergressi, quod calamum merita excesserint. In paginam Orbis, mare in sepiam, Arundo Iovis in calamum abeat, ut singulas Toporeorum trabeas scribat Stylus. Quanquam neq̄ nos jam periodum fecimus, post exaratam Familiæ Vestræ lineam. Illos quos pagina refert margines, non vestro sanguini posuimus. Nempe multum in vestrorum immensitatem meritorum peccaremus Mecænas amplissime si coronato Illustrissimæ Prosapiæ fonte, Tuis dotibus pleniorem, TARŁONII sanguinis præteriremus Oceanum. Plus injurii essemus, si calamum siccaremus ubi exundant merita, Tu Illustrissime Palatine ingentis Familiæ summe Nepos, Palatini muricis Hæres, sub calamum vocaris. In tuum vultum transferuntur majorum Tuorum imagines, ad Tui recti lineam, amplissimæ Prosapiæ decora colliguntur, veluti solis radii ad crystallum, Quos

longa

longa imagine pinximus Avorũ Tuorũ vultus, à Tua depẽdet frõte, leguntur à facie quasi in Iovis purpurati Icone collectus ex Diis Color. Vivũt in Te quæ jam majoribus Tuis in pullam abierunt trabeæ, Fatorum inclementia ad tumulos projectus animam resumit Honor. Regni faciem induunt, qui jam pridem hominis vultum exuerunt TARLONII. Quid enim extra Palatini nostri majestatem, quod intra augustæ Domus decora Honor reposuit? Veluti Cælum esses sidera Patrum circũfers vultu: veluti Oceanus! tot sanguinis flumina: veluti Pantheon Honorum, tot titulos. Phænicem Te dignitatum dicerem, & totam in uno Gentem, nisi quod alienis radiis nunquam arseris. Permitte Palatine Illustrissime grandiorem tot Gratiis vultũ ad infantiæ Tuæ lineas reuocare. Illo Tui sangvinis Rubicone emersisti in vitæ altum, cui sol vellet pro Oceano suas debere Cunas, illo enatasti profundo, quod summorum titulorum plane naufragium est, omnis fortunæ littore beatius. Vt innumera præteream (: quis enim serenos solis ortus ad lituos declamat? :) Ducum in Zbaraż sangvinis estis, Ioannis Tertii invictissimi Poloniarum Regis Coronatus Cruor. Tanto sanguini affudistis parium Vestræ amplitudini Familiarum mare; ad LVBOMIRIORVM fluvium, nunquã sine siti gloriæ immortalis. Mensura Vestræ magnitudinis fuerat Scipio Mareschalcus, quem in Illustrissimo VANDALINO MNISZEK, Vobis Consanguinea supposuit Fortuna ut haberet cui incumberet, quà sanguinis, quà dotum, quà meritorum pondere Domus gravior. In CHOMENTOVIIS

celeberrimi, affines vobis Masoviæ purpuras fecistis, ut Domus nisi Honorum aula fieret, Prosapia? Regia Purpurarum. Nempe talis tantusq; sangvis esse debuerat, qui intra Tuas venas flueret, qui Tibi Palatinas Trabeas imbueret, tam altus color! Vix te in sinu Patriæ Lucina reposuit jam Senatorem faciebas, nondum tamen fueras quod malueris meritis inferri curulibus quam manu aliena? Virum supplebat infantia & tenerrima indoles maturioris ætatis argumenta. Vnde cunis inferre debuerant vota publica ortum Tuum, ne Te ante diem meridies raperet titulorum: adstringere fasciis tantum non adamantino implicare nodo, quod jam excubaverit ad postes maturus Honor exambiverit indolē grandioribus titulis cumulandā. Fuerat Illustrissime Palatine quod Te soli publico interdum exposuerit Lucina; nempe a teneris statim aspectum superum merebaris & Cæli oculum. Iamq; major à cunis quàm a Cælo sol fuerat, quod omnem purpuræ diei lucem in tuam frontem deflexeris. Pulchrum vidisse fuerat Te inter micantiū radiorum saltus veluti infantem Iovem inter Charitum choreas collusisse: pulchrum inter cunarum otia, illustres Phæbi lineas in Arcus inflexisse, inclinasse in laureas, intorsisse in vittas, jamq; omen fuerat Te nisi & ad fortia & ad illustria educari. Procul tunc majorum Tuorum Ceræ amovendæ erant, ne arsissent, nisi has gemmeo lacrymarum nimbo (ut palam esset quantum abundaveras) non nunquam perplueres. Pluvium scilicet mane Tuum fuisse debuerat, ut ad Palatini Honoris augem acciperemus hodie serenum. Quanquam vagire etiā

Tibi nisi in purpuris concessum, quod jam amarent vocem Trabeæ brevi per Regum aulas, per Curias, per Regias Patrum, cum oraculis fundendam: Nec stillantem pupillam nisi ostro exsiccare licuit, quod lacryma color fuerit trabearum, & quædam Palatini muricis tinctura. Nec tamen lugubre quidpiam portendebant lacrymæ infantiles. Hilaria Patriæ præsagiit illustris luctus, Fortunæ sudum grando gemmea. Purpureum colorem referebat inter TARŁONIAS pluvias iris ista, Vnde festivius arrisit Vestris Palatine Illustrissime luctibus Polonia: Vestris fasciis liberius sese implicuit Honor. Vestris cunis maturior se se intulit dignitas trabeata, quod jam puériles gemitus sonarent Virum, exundantium oculorum mare altum faceret meritorum: Tu Mecænas munificentissime etiam in cunis senium trabearum. Neq; tamen cunis excedere concessum ad Curules, Antequam veluti Deorum munus Templis inferreris, nec permissum murice imbui, nisi Te ad candorem Cæli lustralibus undis prius Divinæ Gratiæ lavissent. Tota Honoris aula, tota titulorum regia, Tuæ se se affudit infantiæ, per dignitatum lacertos distribuit portandum onus: huic verticis profundum, illi pedum Tuorum altum commisit virtus: sola pectus (quod jam profanô sanctius fuerat) tulit innocentia. Nec gravius videbatur quod jam cælici amoris alas cor Regni Ioannes indueris. Optabas credo Illustrissime Domine grandior tunc videri, quod nosses pusillam tantum virtutem brachiis ad delubra portari. Tamen etiam in parvo feceras ut nemo IOANNE TARŁONIO major fuerit. Prodigi-

K. um

um hoc infātiæ quod refert Stylus! tanta te majeſta te Sacris Lucina intulit, ut arctū feceris ubi cū toto Deorū ſenatu Iupiter recubuit. Sereno frōtis confudiſti Altariū ignes, cādore animi ceras ſuperū. Exporrigebāt ſe ſuis profūdis Tēpla, attollebāt ad Tui adventū Aræ, ne ad majeſtatē TARŁONIAM minores viderentur. Quos ſepulchri rabies corroſit per rimas tumuli (ſine pompā funeſtaſsent) ſemiputridos ſudariis evolvebant vultus, conqueri videbantur, quod tuum diem non viverent. Sed infra tuum oculum erant, qui infra ſolis radios jacuerant, ſepulchri noctibus demerſi manes. Scilicet nihil commune fuerat cum umbris, luci publicæ Illuſtriſsimis titulis Regniꝗ ſplendoribus natæ Infantiæ. Illò intendiſti vultum, unde fidei dogmata affulſere. Diviniori flammæ honeſtiſsimæ mentis facem, & ſole collucentem palpebram intendiſti, manum Cereo luſtrali, quod jam divina dulciaria placerent infanti melleo. Ad famæ lituum Apoſtolorum ſymbolum tunc dixerunt Honor Pater, Mater Pietas, Tu pulchro modeſtiæ ſilentio arctaſti vultum, quod liberiorem vocem ſuis oraculis ſervandam Patria voluerit. Noluiſti tamen ita faſciis teneri manum ut non prius ſuperis porrexiſses quàm trabeis. Quam pulchrum, quam ſanctū hoc vobis TARŁONII! Nondum noveras quod flamen vitæ duceres, jam cunarum ſolviſti nodū, faſciis, pulchrô virtutis vitæ involucrô ſtrinxiſti manum, quaſi ſymbolo adjeciſse quidpiam volueris, niſi jam in pleno fuiſset fides. Iam colluceſcentes Divinis ignibus Ceras, rapere videbaris, niſi TARŁONVM eſset non Templis detrahere lucem,

Illuſtriſſimus Palatinus, Sub tempus Symboli recitati, manū extendit ad luſtralem Cerœum.

cem, ſed augere, Quanta tunc de Te per plurimorum Tripodes Vaticinia? quæ omina? quis populi ſenſus? Ita ad omnis Eminentiæ regulam tenerrima Te finxit indoles ut nulli impar eſſes præſagio. Alii ab apprehenſis ceris dulce ævum & mellea ſæcula promittebant. Nempe Hymettus roſeis jam refloruit genis, & fronte florida omnis flos virtutis, quô Hyblam ex ſugerent Reges Apum. Alii futurum Liburnorum Regem dicebant à manu. Alii Pellæo juveni non abſimilem, quod unam ſacro deflexeris Orienti, manum alteram ſub purpurarum nube, Occidenti ſervaveris. Erant Illuſtriſsime Palatine qui te ſenatui inferrent, quod jam curulibus placeret caput, qui teneriori dexteræ aureum virgultum veluti ſcipionem ingererent, quod gravaret infantem ingens animus; Erant qui lacertos purpuris deſtinarent quod jam Te omnis honorum color decuit. Nempe iidem humeri & trabeis placebant & violis: idem vultus & Curulibus optabatur & Præſulum eminentiæ. Alii triumphis Te Patriæ, ferro Martis, Bellorum gloriæ præficere videbantur quod inter Gratias, omnes belli minæ pulchraq; ira frontem inſederit. Alii pacatis oleis exoptabant: tantâ tunc vultus modeſtiâ frontem compoſueras & animum, ac ſi inter tumultuantium de Te honorũ rixas paci publicæ litaſſes. Paſsim dicebaris æſtus Martis, ſerenum Patriæ, publicæ felicitatis ſidus: Cereus ille? Cuſtos imperii flamma, Iovis radius, Veſtalium ignis, fax Cæli TARLONII, ad quam ſub triregio honor ſacra faceret probitati. Nec ultra Te fuerat, quod intra ſe privata coquebant omina publica ſpargebant auguria, ſpondebant vota omnium,

 um,

um. Hic tibi à cunis labor fuerat, ut fausto exitu Te ipso Patriæ desideria coronares. Vbi cunis excessisti passum feceras fortunæ, & plantam scripsisti probitati, Primus pes Cataphractum Herculem referebat, primum vestigium Senatorem. Inde statim liberalibus addictus scientiis caput in Minervæ domicilium, in sacerrimam Musarum ædem: pectus nunquam per flagitia profanum in aram sanctimoniæ consecrasti. Nempe placuit experiri quid in literario pulvere valeret indoles, antequam te arenæ honorum intulisset: quid caput sub erudita lauro, antequam sub Galea Bellonæ: quid sub calamo manus, antequam cum aquilis volasset. Libris impallescere voluisti ne ex fronte purpurea Senator futurus noscereris: manum Minervæ hastæ committere ut Regni eluderes scipiones; eruditis laureis inumbrare caput, ut nondum diceceris Illustrissimus. Quam vero facile tibi tunc ad literas ingenium? Quasi Iovis vertice exiveris non tā scholæ cogitationes, quàm Divinam mentem fundere putabaris. Vix doctiùs Pallas discurreret, vix sublimiùs Apollo! Majus aliquid homine referebas, ubi humaniori literaturæ juventam commisisti. Omnes scientias vertice & animo complexus, nihil duxisti pulchrius, quàm nunquam pro fide Pòëtica torqueri mentem. Nempe celeritate ingenii tesitudinem Parnassi prætergressus, intra tuarum laudū seriem reponebas, non segni passu ad eruditionis altum ivisse. Quid vero severiores inte scientiæ? mitescere cæperunt ad tuam frontem tantum non suas spinas exuere, quod sat acuminis haberet ab Ascia TARLONVM, acutior difficultas. Summum

mum erat Eurippi altum, adhuc tamen altius mentis TARLONIÆ profundum. Excessisti sublimitate capitis Parnassi juga, dignitate oris oratorũ fastigia, majestate frontis Academi Sylvas. Iamq́ nihil doctus pulvis fuerat, nisi arena, nihil Parnassus, nisi Collis, Oratorum vatumq́ fontes, nihil, nisi unda, quod Eurippum unus & Castalim exhauseris. Vnde exteri Cæli jam te rapere debuerant quod terræ immensitati indolis non suffecerint. Oberrabas peregrinos soles sub laurea, nunquam tamen a recto modestiæ deflexisti. Primum te Luteciæ adspexêre sed veluti Sarmatici Poli Princeps sidus, non à Paribus Franciæ, non à Grandibus Hispaniæ exæquandum, Mutasti Cælum Patrium non Animum: Nunquam extra virtutis limites ubi extra Regni limina abivisti, solis instar qui Cælo affigitur dum se committit terris. Nullam tibi Luteciæ maculam, nullam TARLONIO candori decolorem fecerunt umbram soles alieni: gemma suras quæ ad candorem pingitur etiam ubi ex Oceani sinu radium adspexerit. Vt in majorum Ceris, ita & in moribus nullum pati fucum volueras, quia Illustrissimus semper. Nec diu Luteciis hærere potuisti. Illuc vocabaris communibus votis, quo orbis deflectit. Nempe vidit te Roma & amavit, quod plura nolueris. Postquam palpebram exhauseras Vaticanam, corda etiam rapuisti, Regnorum Amor. Et jam pulchrum fuerat Te vidisse Latiô redeuntem, à tumulis Sanctorum, vivam sanctimoniæ imaginem, à Cardinalium rota veluti dignitatum orbem, ab Apostolorum latere cor urbis, à Clementis throno Gratiam Ioannem. Iam quibus

 Te votis

e votis Polonia? quibus gaudiis accepit Honor? quibus amoribus dignitas Trabeata? Prius Te inter famæ lituos Polona Pietas Templis intulit, quod indulgentiam putaret: postea Curulibus, eo quod reducē gradū nullū feceris nisi per merita. Grabovięcēsis Capitaneatûs Provinciā Viro cōmisit Honor: Scipionum arbitrum, Præfectum Arcis constituit, quod nondum scires mænia hostili telo objicere, sed pectus. Nunquam tamen inter duros silices invitæ nec veluti a lapide TARŁONIIS fluxere victoriæ: inter hæc saxa mollior flecti in laureas Tibi succrevit Palmarum sylva, nisi hanc in oleas transplantasset Honor, quod Panem bene merentium non segetem clipeatam Vobis nasci Patria voluerit. Subdapifer Lithvaniæ Provinciam suscepisti, ut frugi esses Patriæ. Toties languentem toties immorientem suis malis quà consilio refecisti quà mensa fortium. Valerent regna viribus si ita nutrirentur! Sapuerunt tuo obsequio dulciores trabeatis Vitellius mensæ, Majestatibus Tuæ Epulæ: Ioves etiam commensales nutrire possent, si Superum esset refici debere. Iam hoc deerat, ut qui Regū ora nutriveras, Coronatos vultus indueres. Reges supplesti vicaria Majestate in Tribunali Regni Iustinus, in Curia Aristides, Lublinensis Themidis Arbiter supremus: non minus Iudice gladio quàm TARŁONIA Asciā in scelera decertasti nullā tamen sub tuū ferrū victimā cògisti, nullā auream Hecatomben Aris Iustitiæ imponendam. Timuere sibi Trabeata crimina, tantumꝗ non expalluit scelus purpureum, quod litis fucos noveris, & ideo nullam lineam admiseris quæ auro

Ans Judicis Deputati Tribunalis Regni.

auro pingeretur. Nempe tuum duxeras Causæ pondus ad Polonæ Themidis vocare libram non aurum, pupillorum lacrymas non gemmas, quod inter tot dissidentium animorum jurgia, semper faveris unioni. Nunquam auro cælata facies, quamvis Regum fulgeret majestate, impunè tuam aspexit diem. Nempe corruptam putaveras formā si cutem auream, si pretiosas terræ referret venas. Ita tamen Illustrissime Palatine serenatam ad omne æquitatis sudum, frontem severiori vultu, iraq; tantum non solo Iove digna, temperare noveras, ut non plus timeri malis debueris, quàm à bonis amari. Ita improborum vindicem faciebas, ut viciniori Iusto non defueris probitati. Tantùm non Gratias tuis fascibus alligasti, ut securium formidinem Causæ ponere viderentur, etiam dum ferires. Vnde tantū adamarunt te æquitatis Leges, ut antequam unum deposueris, jam se tibi alter scipio adoptaret, & hic aureus, quod parem dexteram exigeret dignitas pretiosa. Nempe ad tuam libram devenerunt ærarii Poloni Opes, ad tuum Lydium, Regni pretium. Fortunæ sarmaticæ Mareschalcum egeras, ubi suis opibus gravior ad libram vocabatur Polonia: supremum Ærarii Arbitrum; ubi pro auro fuerat decernendum. Rotabant se sub Tuam manum aurei illi multaq; Cæsarum fronte pretiosi numismatum Orbes, & amarunt Tuis lineis circumscribi, Regum in nummis vultus, quod semper recti lineam ad manū habueris, illudq; infra dignitatem pretii haberetur, quod infra TARŁONVM notas. Nondum ex integro intra aureum numerum Fortunam Lechiæ posuisti, jam te ad ferreos congressus vocavit honor

 invi-

invitavit majeſtas Coronata. Nihil tunc ſuppꝗ Auguſti Noſtri gratiis Ioanne, nihil lateri Reg fuerat intimius, quod Auguſti Cordis Tripodem Confæderato inferret Regno, illumq; circumferret vultum, qui cum gemmas loqueretur, faceret unionem. Tuliſti Reges paremq; ſoliis majeſtatem ad Equitum Coronam: Confæderati Regni meditatos receſſus, veluti Torquatus eſſes Tullius, ita facundi oris intercepiſti vinculo, ut nihil libertati Polonæ vicinius haberetur, quàm Tuo nodo gentem liberá adſtringi majeſtati. Agnovere nimirum militares Aquilæ Te fulmen belli, timuerunt virum pericula, Dexteritatem Noſtri Achillis ſiniſtri Animi. Amarunt Concivem Proceres, Coronati ſolis radium Polona ſidera, ViceRegem ſarmatiæ omnis dignitas. Tantus eras ut etiam unica oculorum acie caſtra vincere potueris. Inter tot mortes vitam compoſuiſti civibus, quaſi Cæſar Contra Pompeios & ora ſtrinxeris & gladium. Nec ſatis fuerat ſemel per Te triumphaſſe Reges, cùm ſagum Togâ permutares. Palatinatûs Sandomiriæ demandatam Provinciam ad Regni Comitia promoviſti Cyneas ſecundior: deſtinatus Civium portandis doloribus publicis negotiis haud aliter intentus quàm Tuis. Arriſerat tunc communis fletus quem feliciſsimo eventu ſerenaſti. Te ſuum luctus populi dixit Hilarium, Te indigentia, ſuum Commodum, Te calamitas publica, Fortunatum, Te Titum ſuum Purpuratorum Patrum Cætus. Audivimus Illuſtriſsime Palatine paria Delphicis oracula, dum in ſenatum Tripodem Apollo intuleras. Vidimus à Tui, Oris gratia veluti a fidibus Thebas, deflexos ſena-

ſenatûs Animos, quaſi Amphionis Citharâ pulſaſſes cum diceres. Stabant attoniti, Patres Ioannem O-ris Ambroſiâ, Vlyſſem conſilio admirati, & nullus fuerat Achilles, qui ſuppar acumen opponeret. Sanè cælum in Te Numen Oratorum reperit Mercurius, ut neminem latuerit quæ privata Domi receperas, ea te coram Regnorum ſolibus luce clariora effeciſſe. Evidens Tuæ legationis argumentum quod omnium Animos in tui vota rapueris, ubi in orbis Lechici fa cie ad mentem dixeras Trabeatam. Sed iterum Te ſacrarium illud Legum, & Templum libertatis Var-ſavia Numam habuit, Sanxiſti quod ſanctum fuerat, conſummaſti præterita, expleſti futura, pridem agen da perfeciſti. Etiam ablatis Legibus habet in Te regu lam ne erret poſteritas. Cuderunt Cæteri in omnem caſum ſtatuta ferrea ut Rhadamantus: Alii Manliana ſecuti imperia. Odiſti Severum Ioannes Gratianus, mite licet exarmaſti ingeniũ & pretioſiores voluiſti aureæ libertatis Leges fieri quàm graviores. Si quæ tamen Iura poſuiſti Optimatibus, illa ſunt Optimîs meliora. Tu Populorum Roſcius, Procerum Fabius, Poloniarum Arbiter; Toporeorum etenim eſt Iura decidere, TARŁONVM, etiam extra Areopagum Leges formare, ſtatuere.

Quanquam eſt quæ vos Illuſtriſsimi TARŁONII Lycurgos Lex non habuit, tantum vos antiquati in domo Veſtra muricis convincens, quantum meri-ti. Iuribus dignitatum ſuccumbendum eſt, niſi tam alti ſanguinis rei eſſe nolitis. Exuite TARŁONVM vultum ſi non veſtrum ducitis in purpuris rubere. Pa trium Vobis hoc crimen eſt ſed pulchrum, Palatinos præferre vultus, & nunquam videri niſi Trabeatos.

Vide Illustrissime Mecænas quantas de vobis jam Actor Honor palmas cecinit! Per Regum aulas, per Procerum consessus, per dignitatum status, pulchra lite de vobis certarunt tituli, diem ad purpuras dixit Amor Populi, tantumq; vicerunt merita, ut nec vivere jam TARŁONIIS liceat nisi in Trabeis. Iam & Te Illustrissime Palatine (tantum indulge candori calami) qui totus de Tuo sanguine triuphavit purpurei juris tangit Terminus. Quod in Majoribus Tuis invidendum omnibus crimen ad Ostrum damnavit Honor, hujus Te per longius recensitã meritorũ seriem convicit dignitas Palatina. Iam communibus votis jam senatûs arbitrio, jam Serenissimi Augusti nostri Decreto Tuis sese humeris reinducunt Trabeæ, jam Tuis lacertis jacent purpuræ, jam augustum caput Curules Patritiæ, jam manus scipiones, jam te totũ intercipiunt dignitates. Quid enim? pridẽ jam omnia senatoris habuisti præter titulum quod Curulẽ, non tam Tibi honor struxerit quam dotes. Cunctarum dignitatum votum fueras, maximum tibi ipsi ad trabeas suffragium, quas nisi invenisses? fecisses. Adverte jam Palatine Illustrissime quò per pulchram de Te titulorum litem processeris! jam te manu tenet Honor Patritius. Nullã altissimi sanguinis stillam prætermittet dignitas quam in Trabeas non retulerit. Nullam Illustrissimæ Domus scintillam, nullum TARŁONIVM quẽ non ad Illustrissimorum titulos non ad senatũ non ad Palatini muricis hæreditatem invitaverit.

Insiste itaq; Antenatorum Tuorum Honori Palatinarum Hæres trabearum: submitte purpuratum Cælo lacertos Atlas honorarie. Non ultra TARŁONIOS est quæ Tuis humeris incumbit dignitas, Exore re

re Palatinatus Tui Princeps sidus Cæli sarmatici mane Purpureum, Honorum meridies. Eam tibi accēdit pompam grata Patria Majorum ceræ Tuarũ virtutum splendor, Augusti Nostri Amor. Nullum timeas Tuorum Prometheum radiorum: Iam cæca Fortuna est quæ sinistro oculo solem tuum aspiciat. Reliquum est ut ad lucis Tuæ cultum Religiosas admittas umbras. Etiam istæ Tuum meridiem sequuntur quod malint à sole quam projici a Tuo vultu. Permitte minimam IESV Societatem Tui Mecænas Illustrisime adnecti plausibus: Vtiq; etiam Purpuræ minutias admittunt. Hæc eo se tota colligit ut Te multo sole in auge videat Titulorum, in Honorum fastigio adoret in Polonæ Eminentiæ Curuli Palatinarum habeat Hæredem Purpurarum.